

In laudem
FRANCISCI ROMANI
quattuordecim lustra feliciter complentis carminulum heroicum

ROMANUM *laudare* decet, qui primus *ab ipso*
Principio laudes detexerit induperantum
ROMANA de stirpe sacra: sed nomine vero
Magna Habsburgigenum gaudebant *laude* parentum.
Multa ille et verbis docuit scriptisque probavit
Monstravitque suis, quantae essent molis et artis
Carmina quae splendent Latii *sermone renato*.

Nec satis est: *Tacite* num praetereat quis
ROMANUM semper *studiose iraque* remota
Illius in libros investigasse, docet qui
Urbem ROMAM *a principio* reges habuisse?
Hunc qui sint imitati, idem ipse docere solebat.

Maius forsán opus memoretur, credite cuncti!
Munere *perpetui* functus namque ille *decani*
Bis quinos annos – septemque his adde – laborem
Omnia vincere permisit multumque peregit.

Altius at nunc tolle pedem, *montana* Camena!
Saxa licet, glacies niveae super aëra tollant
ROMANUM: Latium cole! Tu, ROMANE, memento!

Nativitatis nosse qui cupiet diem,
numerum indicare versuum diem sciat,
exordii autem computus mensem dabit.

